

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Elias.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

Elias, Sarephthana mulier.

Heus mulier, quæso te, ut petas paululum aquæ
 in aliquo vasculo, quod mihi bibendum des.
 S. Ego veto perlibenter. *E.* Sed heus, afferto
 tecum frustum panis. *S.* Ego vero (Jovam
 Deum tuum immortalem testor,) coctum non
 habeo: sed tantum farinæ pusillum in cado, &
 olei pusillum quid in ampulla. Nunc colligo
 paululum ligni, ad id quod habeo, mihi meisque
 liberis parandum: quo sumpto, superest ut fame
 pereamus. *E.* Bono sis animo; i, factum, ut di-
 xisti, Sed mihi prius despiticium inde confectum
 afferto, deinde tibi tuisque liberis factura. Nam
 hoc tibi a Jova Israelitarum Deo confirmo, non
 prius farinæ cadum & olei ampullam exhaustum
 iri, quam Jova ^{a)} terram pluvia irripaverit. *S.* Fa-
 ciam ut jubes.

SENTENTIA.

*Tenues & famelicos respicit Deus. Tenues
 & famelici multo facilius credunt Deo, quam po-
 tentes & saturi. Primitiæ debentur Deo & suis.
 Deus eorum laborem felicitat, qui Deo primas tri-
 buunt. Feliciter habet, qui Deum habet, quantu-
 tumcunque habet.*

ELIAS. I Reg. 18.

ARGUMENTVM.

Elias cum latuisset tres annos & sex men-
 ses, quo toto spatio non pluerat, inventus
 ab

a) Hoc propterea dicit, quod fomes illa orta erat a de-
 fectu pluviz.

ab Abdia, venit ad Regem Achabum: convocatis Baalis Lucanisque vatibus; constituto inter ipsos & Eliam certamine de litatione, cum illi litare Baali non potuissent ipse Jovæ litat: deinde vates illos necando curat. Postremo conscenso monte Carmelo, pluviam impetrat a Jova.

*Abdias, Elias, Achabus, Populus, Vates
Baalis, Puer Eliæ.*

Misit me Rex ad quærendam tota regione aquam, si forte gramen invenire possimus, quo toleremus equos & mulos, ne jumentis privemur. Ipse Rex alia via ejusdem rei gratia profectus est. Jam enim tres annos & amplius nulla fuit pluvia: itaque omnia peraruerunt, nec usquam viriditas ulla potest inveniri. O Elia, tuæ preces nobis invexerunt hanc siccitatem! quæ non nisi tuis ejusdem precibus finiri potest, sicut ipse minatus es. Quod nisi pateris inveniri te, actum est, perimus. Sed video venientem huc hominem hirsutum, qui habet latera cincta cingulo pelliceo: Fallor ne? an is est ipse Elias? Certe videtur. Heus, tu ne es dominus Elias? *E.* Sum. *A.* Inunciatum domino tuo, adesse Eliam. *A.* Nunciatum vero? quid peccavi, ut tu me Achab necandum objicias? Jovam ego immortalem juro Deum tuum; ^{a)} nullam gentem, nullum regnum esse;

^{a)} Hyperbole. Neque enim omnia totius orbis regna sed in plurima dimiserat Achabus.

esse, b) quo dominus meus non dimiserit, qui te conquirent. Cumque negarent adesse te, ille regna & gentes obtestabatur, ut dicerent; an tu illic esses, quod te nusquam inveniret. Et tu me nunc jubes, ut domino meo nunciatum eam, adesse Eliam? qui postquam a te digressus fuero, auferet te Jovæ spiritus, nescio quo. Ego interea, qui hoc Achabo nunciatum ivero, c) cum ille te non invenerit, interficiatur ab eo. Et tamen Jovæ reverens sui a pueritia, nisi forte tibi relatum non est, quid ego Jezabele vates occidente fecerim, ut eorum centum abdiderim in duabus cavernis, videlicet in utraque quinquaginta, & eos pane & aqua aluerim. Et tu me nunc jubes, ut eam adnunciandum domino meo, adesse Eliam, quo me interficiatur? *E.* d) Sic vivat armipotens Jova, cui ego apparere ac ministrare soleo, ut ego me Achabo ostendam hodie. *Ab.* Postquam istud mihi ita confirmas, ibo. Salve Rex! incidi in Eliam. *A.* In Eliam autem? *Ab.* Ita. *A.* Eliam tu invenisti? *Ab.* Eum ipsum. *A.* Quæso te, adest Elias vates? *Ab.* Adest Elias vates. *A.* Duc me ad eum continuo. *Ab.* Eamus hac, inveniemus. Atque eccum tibi obiam. *A.* Tu ne is es, qui perturbas Israelitas? *E.* e) Non ego Israelitas per-

b) In rebus adversis quærunt interdum impii pios quos ante infestant.

c) Tyranni ex conjecturis, crimine non comperto, sæpe insomnes damnare solent.

d) In rebus magnis, si res postulat, jurare fas est.

e) Non qui vera docent, sed qui veris non obediunt, autores sunt calamitatum.

perturbo, sed tu, tuaque paterna familia: qui omissis Jovæ præceptis, Baales sequimini: quæ causa fuit, ut Jova vobis istos ardores immiserit. Verum cura mihi convocandos omnes Israelitas in montem Carmelum, Baalisque vates quadringentos quinquaginta, & f) Lucanos vates quadringentos, Jezabelis convictores. *A.* Fiet ita. Adfunt, quos jussisti, Elia. *E.* Audite vero Israelitæ. g) Quousque in utrumque crus claudicatis? Si Jova Deus est, hunc sequimini: sin Baal Deus est, Baalem sequimini. Nihil respondetis? Ego unus Jovæ vates super sum, cum Baalenses vates sint quadringenti quinquaginta, Lucorumque vates quadringenti. Dentur nobis duo tauri, quorum unum illi sibi deligant, dissecentque, & lignis imponant, neque ignem subjiciant: alterum ego immolabo, superque lignis collocabo, nec ignem supponam. Tum vos Dei vestri nomen appellate: Ego Jovæ nomen appellabo. *Ac* h) qui Deus igne de cælo demisso annuerit, seque exoratum ostenderit, is Deus habeatur. *P.* Placet vero, atque ita fiat. *E.* Vos igitur, Baalis vates, deligite vobis taurum alterum, & priores facite, quoniam plures estis: Deique vestri nomen invocate, nullo igne subjecto lignis sacrificialibus. *V.* Accipimus conditionem: mactemus taurum: imponamus frustra lignis. O Baal! demitte ignem de cælo, quo te Deum esse ostendas, Baal! Baal!
o Baal!

f) Locorum.

g) Duobus dominis serviri non potest.

h) Quis sit verus Deus, patet ex vivis ejus operibus.

o Baal! o Baal præpotens Deus! Baal! o Baal! Deus noster! noli committere, ut unus Jovæ vates plus possit apud Deum suum, quam nos octingenti quinquaginta apud te. Effice Baal! ut, quoniam te plures colunt, quam Jovam, majores etiam vires habere videaris. O Baal! Baal, Baal, o Baal! non audis nos? Non te rite coluimus hætenus? quid in te commisimus? non vis tuas vires ostendere? Quo plures habes cultores, nonne æquum est eo te magis exorari? Baal, o Baal! nisi nos exaudis, actum est de te, deque tuo populo. Unus hic Jovæ vates tuum cultum abolebit. Quis te colet, o Baal! quis deinceps adorare volet, o Baal! Baal, o Baal! quis te non contemnet, & nihilo ducet, si nos in tanto discrimine non exaudiveris? In quem vero magis necessarium usum reservabis tuam potentiam? Nos te invocamus, nos aram tuam prætergredimur: & jam meridies est, neque tu respondes, aut exoraris. O Baal! Baal, Baal, o Baal! noli perdere nos. *E.* Clamate majore voce: Certe enim Deus est: sed forsitan aliquid altius contemplatur & animo agitat, quam ut possit istas tam exiles voces audire: aut occupatus est, aut iter habet: nisi forte dormit, ut sit expergefaciendus. *V.* Heu, Baal Deus noster, quid amplius tibi faciemus? Baal, o Baal! o Baal! *E.* Euge, recte, fecate vos isto modo gladiis & cultellis, ut a vobis ipsis cruentati, misericordiam Baalis excitetis. Sed nihil respondet, nec attendit vestros clamores: surdo canitis. Agite jam omnis populus, accedite ad me. In-

flu-

I

stauremus aram Jovæ, quæ diruta est, & saxa duodecim capiamus, pro numero tribuum filiorum Jacobi. Ex his saxis aram Jovæ nomine construamus, & circum eam ducamus profundam scrobem. Agite componatur strues lignorum, mactetur taurus, & super imponatur. Recte est i) Replete quatuor amphoras aqua, & eam in hostiam, inque struem effundite. Iterate idem reiterate. Bene est. Redundat aqua circum aram, ipsamque scrobem replevit, ne quid fraudis subesse putetis. Nunc, o Jova, Deus Abrahami, Isaaci, & Israelis, effice ut hodie intelligatur apud Israelitas, & te Deum, & me servum tuum esse, tuoque jussu hæc omnia fecisse. Exaudi me, Jova, exaudi me, ut sciat hic populus te Jovam esse Deum, qui eorum animos retro flexeris.

P. O rem miram! Ignis delapsus a Jova, & hostiam, & ligna, & saxa, & humum absumpsit, & scrobis aquam lambit. *k)* Jova Deus est, Jova Deus est. *E.* Si igitur Jovam esse Deum agnoscitis, & ad terram proni adoratis, *l)* comprehendite Baalenses vates omnes, qui vos a Jovæ cultu magno vestro malo avocarunt. Cavete, ne quis omnino evadat. Agite, ducamus eos ad Cisionem fluvium, jugulentur hic vates omnes Baalidis, ne quem deinceps a veri Dei cultu possint

i) Ad vincendam populi diffidentiam vult Deus miracula esse evidentiora, quam ut dubitari possit.

k) Etiam impii Jovæ operum magnitudinæ victi, eum confitentur esse Deum.

l) Deceptores supplicio digni sunt.

avertere; Perite populi deceptores, correptores
 atque pestes, & dignas præstigiis vestris pœnas da-
 te: ut deinceps adoretur, & in honore habeatur
 is unus, cui debentur omnia. Nunc Achabe,
 ascende, & i ad capiendum cibum: sentio enim
 jam adesse murmur pluvix. Ego ascendam in
 verticem Carmeli. Sequere me puer. *Pu.* Fa-
 ciam, here. *E.* Age jam puer, dum ego hic in
 summo Carmeli jugo maneo, i spectatum mare
 versus: & mihi quod videris renunciatum venito.
Pu. Libenter, here. Feci, here: neque quic-
 quam vidi. *E.* Revertere eodem septies. *Pu.* Pa-
 rebitur. Jam iterum venio. Jam tertio. Jam
 quarto. Jam quinto. Jam sexto. Superest ut
 septimo speculatum eam. Here, vidi nubeculam
 instar palmæ hominis ex mari efferri. *E.* Instat
 pluvia. I nuntiaum Achabo: ut junctis jugali-
 bus, in urbem descendat, ne a pluvia opprimatur.
Pu. Eo. *E.* Ego succinctis lateribus ei Jezrael
 præcurram. *P.* Salve Rex. Jubet Elias, ut pro-
 pere jungas equos, & te in urbem recipias, ne te
 pluvia opprimat. *A.* Agite mei, festinemus, in-
 gruit pluvia: nigrescit cœlum nubibus atque
 vento: properemus: vix evademus, quin made-
 fiamus.

SENTENTIA.

*Justorum preces incredibile dictu quantum pol-
 leant apud Deum. Injusti justos accusant eorum
 malorum, quorum sunt ipsimet auctores. Præ-
 sente Elia nihil possunt Baalenses, præsentem Jovæ
 torpet Baal. Ut nox diei: sic veritati cedit men-
 dacium.*

idacium. Impiorum plena sunt omnia: piorum
exiguus est numerus. Saepe magis uni credendum,
quam mille: nam paucorum est sapientia. O ca-
cum genus hominum, quando tandem hæc videbis?
aut quæ tandem lux penetrabit istos oculos? Nun-
quamne, nisi sero sapietis? Utinam adsit aliquis,
igneo Spiritu igneaque oratione Elias, qui charita-
tis ignem de cælo devocet, quo nostrarum precum
sacrificia exardescant, ut deinceps solus Jova ex-
tollatur.

MICHAEAS. I Reg. 22.

ARGUMENTVM.

Achabo Israelitarum Regi consulunt falsi
vates, ut Ramotha Galaaditicam urbem bello
adoriatur: fore enim, ut ea potiatur. At
Michæas vates contrarium prædicit, eamque
ob causam conjicitur in vincula.

*Achabus Israelitarum, Josaphatus Judæorum
Rex, Vates, Nuncius, Sedecias,
Michæas.*

Adsunt hic Vates, Josaphate, plus minus qua-
dringenti, quos ad explorandam Dei volun-
tatem censuisti accersendos. *Jo.* Video: super-
est, ut eos interroges. *A.* Quid mihi autores
estis, Vates? censetisne, ut bello Ramotha ado-
riar, an ab incæpto desistam? *V.* Nos vero cen-
semus, ut adoriaris: nam victoriam tibi annuit
Domini-